DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE III. M. MAII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS BERGER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

E. PROCHNOW, med. et chir. Dr.
A. STOLTE, med. et chir. Dr.
L. de LEUW, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERES USQUE PIO GRATOQUE ANIMO COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Est hoc majorum instituto bene ac sapienter receptum, ut qui summos in ullo literarum genere honores expetant, ii, quid in ea, cui praecipuum studium dicarint, disciplina profecerint, et publica ingenii tentatione ostendant, et edendo quodam libro de aliqua literarum parte scripto confirment. Cui ego satisfacturus officio, quum caute circumspicerem, quem potissimum ex innumera morborum, quibus mortalium hominum genus obnoxium est, copia deligerem, de chlorosi, ista muliebris sexus peste, disserere placuit. Ea autem utar disputandi via ac ratione, ut non tam reconditae cujusdam eruditionis, aut singularis cujusdam acuminis, quae a me aliena esse profiteor, laudem quaesivisse videar, quam iis, quae aut ab viris doctis de illo morbo ad id tempus scripta sunt, aut a memet ipso observata, inter se collatis accuratam legentibus morbi imaginem proponam. Metum autem affert non tam suscepti magnitudo muneris, cui me jam aliqua exercitatione assuefeci, sed ipsa rerum, in quas inquirere studemus, natura ita abscondita et quodam quasi involu-

cro implicata, ut non unius labore hominis, sed plurimorum industria et multorum saeculorum spatio videatur perscrutanda. Quare si quid dixero, quod vel non satis accurate perceptum atque cognitum sit, vel eruditas aures offendat, huic meae imperitiae in legentium humanitate spero fore praesidium.

I. SYNONYMA.

Χλώρισμα (Hippocrates), Illisis (Avicenna), Febris alba et virginum obstructiones (Mercatus), Pallidi colores (Sydenham), Icterus amantium (Le Blanc), Morbus virgineus, Febris alba (Sennert), Chlorosis (Bauhin et Varandé), Icteritia alba (Etmueller), Febris amatoria (Langius), Pallor virginum, Melancholia amatoria, Anaemia Chlorosis, Hydraemia virginum, Hyperhydraemia (Colombat), Chlorosis pallida; weisses Fieber, weisse Gelbsucht, Bleichsucht (Germani), Ictère blanc (Sauvages), Pâles couleurs (Francogalli), Green sick ness (Angli), Maagd-ziekte Bleekzucht (Batavi).

II. SYMPTOMATOLOGIA.

Ea est ratio morborum chloroticorum, ut ipso adspectu facile perspiciantur. Qui enim isto morbo affecti sunt, eorum cutis colorem plerumque exhibet pallidum ac prope luridum, haud raro cerinum; eundem colorem membranae mucosae, labia, lingua, gingiva et conjunctiva referunt. Cutis simul flaccida et frigore horrida; quod

quum alii facile animadvertant, tum aegri ipsi illius adeo impatientes sunt, ut temperationem calidam quoque modo provocare studeant. Caro laxa ac fluida, membra interdum oedematosa; regio palpebrarum tumida, vultus languidus, oculi lentis ignibus nitentes. Musculorum tanta infirmitas est, ut aegri vel minimis laboribus defatigentur magnoque illorum subeundorum capiantur taedio, quam inertiam et segnitiem ex membrorum lassitudine profectam saepe ipsi conqueruntur. Iidem quoties aut scalarum gradus citius adscendunt, aut in montium juga enituntur, aut alio modo fortius moventur, spiritu tantopere laborant, ut anima saepe deficiat. Etsi vero respiratio impedita est, potest tamen thorax late extendi. Quum corpus movetur, rarius, si immotum jacet, palpitatio cordis augetur, accedente nonnunquam singulari illo strepitu, qui modo follicans est, modo stridulus, modo sonitum istum refert, quem Francogalli »bruit de diable« appellant. Hunc primus Bouillaud descripsit, qui singularem quendam maxime in carotidibus stridorem observavit. Causam Skoda esse censet vibrationem parietum arteriarum vehementius quassatorum; Canstatt eandem ex imminuta illorum parietum extensione fluxuque sanguinis languidiore, quo major efficiatur sanguinis ad parietes frictio, repetendam censet. Pulsus frequens, morbo jam evoluto ictus 120—140 referens, minutus, debilis, filiformis, facile comprimendus; rarius durus est, quod ne fraudem faciat medico, reliqua morbi indicia accurate sunt exploranda et inter se componenda. Venae cutis pallidae sunt et roseae.

Ut autem ciborum appetitus imminutus est, ita alvi dejectio non constat, ut illa modo adstricta sit, modo

cita ac soluta. Digestionem turbatam sapor oris pituitosus et lingua haud raro muco viscoso obducta indicant. Accedunt cardialgia, ructus, vomitus acidus, flatus denique ventris quovis ciborum genere provocati. Interdum contra accidit, ut aeger quadam quasi canina fame rerum ad vescendum non aptaram, gypsi, cretae, salis, aliarum corripiatur.

Urinam chloroticorum, quae aut subviridis est, aut aquosa et coloris expers, Becquerel (1) demonstrasse sibi visus est parum continere ureae, salibus vero abundare. Interdum urina, si aqua imminuta et urina concentrata est, colorem habet fuscum.

Genitalium nec forma sibi constat, nec functio. Chlorosis enim, quum plerumque mulieres corripiat, si ante pubertatem eas incedit, molimina menstrualia saepe non adsunt; sin, antequam morbus ingrueret, purgationes menstruae adfuerant, harum ipsarum ordo et constantia semper turbatur. Nam aut prorsus deficiunt, aut tam mancae sunt, ut tempore nequaquam certo sanguis pallidus et aquosus, interdum nil nisi pituita profluat. Plerumque fluor albus adest aut continuus, aut periodicus. Amenorrhoea saepe quidem cum chlorosi conjuncta est, neque tamen altera sine altera cogitari non potest; haud raro enim in chlorosi larga sanguinis menstrui copia profluit.

Idem morbus, si quando viros invadit, id quod scimus fieri rarissime, similia obveniunt indicia; genitalia non explicita et intermortua, testiculi parvi, erectiones aut seminis ejaculationes nullae; mentum et pudenda

---

(1) Becquerel, Séméiotique des urines. Paris 1841.

pilis carentia; vox exilis, ab puerorum voce parum abhorrens.

Aegroti plerumque sine causa moesti, tristes ac taciturni sunt, loca secreta cupidissime quaerunt, tanto denique capiuntur mortis desiderio, ut haud facile animum ad vitae cogitationem recipiant.

Restat, ut symptomata afferamus pro alia animi constitutione alia.

Quibus scilicet animus est irritabilior, eorum systema vasculosum et nervosum facillime irritatur; sanguis vehementius agitatur, caput dolet, aegri vertigine corripiuntur; cutis temperatio modo calida, modo frigida, facies nunc rubicunda, nunc pallida; pulsus interdum frequens, acceleratus; menstruatio raro dolore carens; cor quavis oblata occasione saliens, anheïitus tantus, ut aegri ne suffocentur metuant. Accedunt saepe spasmi, neuralgiae, capitis collique nervorum, imprimis nervi trigemini, dolores diuturni et assidui, qui tam sunt constantes, ut Trousseau et Pidoux inter vicenas feminas chlorosi affectas novenas denas neuralgiis laborantes viderint. Plerumque aegrotantes puellae sunt corpore sano et ante morbum florido ac vegeto, sed subitis incrementis aucto et adulto.

Quodsi vero animi irritabilitas imminuta est, aegri languore et desidia torpidi irritamenta externa vix sentiunt. Color corporis pallidus ac prope luridus, haud raro subviridis; aegri frigoris impatientissimi; menstruatio aut nulla, aut pituitosa, unde facile blennorrhoea continua nascitur. Febris non exstat, digestio turbata; alvus plerumque adstricta; omnes denique vitae functiones torpore oppressae.

III. DECURSUS, EXITUS.

Chlorosis et varium est temporis spatium, nec decursus certae regulae adstrictus. Raro morbus paucis hebdomadibus curatur, plerumque complurium aut mensium aut annorum spatium explet. Exit aut in sanitatem, aut in morbum alium, aut in mortem.

Quodsi exitus morbi tam prosper est, ut in integrum aeger restituatur, primum color vultus redit naturalis et vividus, dein effuso per corpus calore salubri pulsus fit intensior. Tum aucto ciborum appetitu, sanguinisque et quantitate et qualitate feliciter mutata novo quodam vigore vitali totum corpus perfunditur. Menses si antea defecerant, tum primum provocantur; sin ante morbum adfuerant, ad legitimam regulam dirigi incipiunt. Quando feminae, antequam morbo corriperentur, purgationibus menstruis prorsus caruerant, ubi primum convalescere coeperunt, primum pituita profluit, dein mucus sanguine mixtus, postremo merus sanguis menstruus. Animadvertendum autem, nisi omnia haec indicia inter se congruant et conspirent, aegram non posse dici esse sanatam. Cavendum est igitur medico, ne uno vel altero sanitatis indicio, velut mensibus ad regulam directis, confisus decessisse totum morbum existimet. Porro, ut conspirantibus sanitatis indiciis morbus in praesens tempus sublatus videatur, haud raro tamen ille aut coeli iniquitate aut purgationum menstruarum difficultate revocatus novos facit impetus.

Jam quod supra diximus chlorosin saepe in alium exire morbum, hi praecipue morbi appellandi sunt.

a) Chlorosin haud raro graves excipiunt nervorum affectiones, imprimis hysteria, omnis generis neuralgiae,

melancholia cum stupore mentis conjuncta, nymphomania ex oppresso desiderio naturali profecta. Quorum quidem morborum ea ratio est, ut nymphomania potissimum nobilioris ordinis homines corripiantur, stupor mentis vero et melancholia feminas humiliore loco natas invadant.

b) Proficiscuntur haud raro ex chlorosi morbi cordis, imprimis dextri cordis dilatatio, accedente parietum extenuatione, et aneurysma passivum. Hoc inde fit, quia apud chloroticos ad circulationem deficientem reficiendam cor raptim et praepropere movetur.

c) Subsequuntur chlorosin interdum etiam morbi pulmonum, praecipue phthisis tuberculosa, praesertim si aegroti scrofulosi affecti sunt aucta simul animi irritatione. Solet tum phthisis decursus esse acutissimus.

d) Depulsa chlorosi quandoque lienis induratio cum atrophia remanet, ex qua subinde hydrops nascitur.

e) Hydrops qui proprie dicitur chlorosin non statim excipit, sed primum anasarca, dein ascites, tum denique etiam hydrothorax in corpore aegroto suboriuntur.

Letalis morbi exitus plerumque nec subitus est, nec tam chlorosi ipsa provocatur quam aliis, in quos illa transiit, morbis paratur. Saepissime enim aegroti aut hydrope conficiuntur, aut absumuntur phthisi tuberculosa et febri hectica. Quod ubi fit, omnia corporis membra languor occupat, anima crebrius deficit, alvus fit citatior, lingua est arida, pulsus minutus, filiformis, extremitates frigescunt, vita denique post continua deliria exstinguitur.

IV. SECTIO.

Chloroticorum cadavera si secta explorantur, omnia fere vitae instrumenta apparent pallida et exsanguia.

Quum autem totius corporis volumen perquam minutum sit, tum vero musculi admodum pallidi et extrema macie contriti inveniuntur. Eadem est ratio cerebri, pulmonum, renum, hepatis. Quaedam tamen organa, velut lien, nonnunquam sanguine abundantia dicuntur esse deprehensa. Sanguis ipse ita mutatus apparet, ut aut magna ejus inopia, imprimis in dextro corde, in arteriis et venis majoribus occurrat, aut fibra, globuli et firmiora corpuscula admodum reperiantur comminuta. Quod quidem quum multorum, velut Lecanu (1), Jenningsii (2), Andrālii, Gavarreti, Simonis analysi comprobetur, tum Foedisch chloroticae cujusdam sanguinem his partibus constare computando effecit:

Cruoris	Seri	Fibrinae	Ferri	Aquae
91,41	93,61	6,40	3,30	806,28
85,90	92,21	6,31	5,01	810,75

Jenningsius duarum chloroticarum sanguinem examinans invenit

Aquae	Pigmenti
871—852	48,7—52

Est autem haec constans doctissimorum medicorum observatio, sanguinem chloroticarum pallide rubentem esse et aquosum, pigmentum vero facile inde abluendum. Quod interdum crassamentum sanguinis crusta pleuritica obductum reperiebatur, ejus rei quae sit causa etiamnunc in controversia est. Specificum, quod dicitur, sanguinis pondus imminutum est.

---

(1) Etudes chimiq. p. 113. Paris 1837.

(2) Diss. de morbosa sang. temperat. imprimis in Chloros. Jen. 1832.

V. DIAGNOSIS.

Chlorosis signa et indicia si non tam singula respicimus, quam intuemur universa, morbus tam facilis est ad dignoscendum, ut cum aliis morbis haud possit commutari. Etenim si ad solum vultus colorem animum advertis, qui solet esse cachecticus, facile sane vel icterum, vel lienis morbos, vel desorganisationes intestinas, carcinoma, aliasque dyscrasias subesse conjicias; ex corde porro saliente morbos cordis, hydropem ex oedemate augurari videare: ab illa autem conjectura statim recedes, si reliqua morbi indicia in consilium adhibueris. Non igitur alienum videtur a proposito, accuratius definire, quibus potissimum indiciis chlorosis ab aliis, qui cum illa permutari possunt, morbis dignoscatur.

a) Et ab ictero quidem chlorosis ea re discernitur, quod etsi cutis color utriusque morbi proprius perquam videatur similis, tamen chloroticorum conjunctiva colorem refert candidum, ictericorum vero statim ab initio flavum. Dein palpitationes cordis et strepitus arteriarum, quales apud chloroticos cernimus, apud eos, qui morbo regio laborant, desunt. Faecum denique et urinae natura icterus a chlorosi facile distinguitur.

b) Lienis autem morbi a chlorosi et musculorum firmitate et colore splenicorum subviridi, nonnunquam adeo nigricante, dignoscuntur.

c) Porro carcinomata tum demum accurate percipiuntur, quando morbus certae corporis parti inhaeret.

d) Jam ne cum hydrope confundatur chlorosis, oedematis maxime ratio habenda est, quo pedes quidem chlo-

roticorum vespere tantum occupantur, mane vero vultus et palpebrae intumescunt.

e) Chlorosis quomodo a cordis morbis discernenda sit, difficilis saepe quaestio est. Quum enim vertigo, oedema, pallor cutis et chlorosis propria sint et cordis morborum, nec raro chlorosis ipsa in cordis morbos transeat, hi utrum ante chlorosis accessum adfuerint, an ex illa sint profecti, difficillimum est ad explorandum. Videtur tamen utrumque morborum genus his praecipue indiciis distingui. Chloroticorum vultus plerumque apparet pallidus, colore livido non admixto; qui corde laborant, nec totum vultum habent pallore obductum, et genas atque labia plerumque livore distincta. Palpitationibus chlorotici tum demum afficiuntur, quum reliqua morbi symptomata ingravescunt; eaedem cordis morbis ab ineunte aetate solent esse adjunctae. Caeterum chloroticorum palpitationes ut subito excitantur graviore corporis motione aut mensibus, impulsu cordis modico: ita reliquis morbi indiciis imminutis remittunt et ipsae; cordis vero morbi palpitationes habent continuas, fortiore cordis impulsu provocatas, quarum tanta vis est, ut ipse cordis ventriculus etiam extrinsecus convexus appareat. Denique cum excitantia et martialia chlorosin semper leniant ac molliant, contra cordis morbi iisdem augeantur, curatio ipsa quoddam facit judicium.

f) A mensium vel suppressione vel retentione chlorosis eo differt, quod congestionibus menstruis omnique fluxuum genere prorsus caret.

g) Anaemia quum ex nimia virium ac sanguinis profusione oriatur et morbi decursu adjunctum habeat statum hydropicum, ipsa causa a chlorosi differt.

h) Color cutis chloroticorum cachecticus eo complures adduxit, ut morbum istum cum aliis dyscrasiis confunderent, quod ne fiat morbi et indicia et causae et decursus accurate sunt examinanda.

VI. AETIOLOGIA.

Causae praecipuae, quibus chlorosis solet produci, hae sunt:

a) Sexus et periodus evolutionis. Evolutio genitalium quoniam maximam vim habet in totam vitam muliebrem, consentaneum est saepius feminas quam viros chlorosi corripi. Hos quidem isto morbo prorsus non tentari etsi fuere qui affirmarent, tamen quaedam apud viros pubertatis tempore observata sunt chlorosis vestigia. Plerumque puellas invadit puberem aetatem ingressas. Tunc enim quia totum corpus subitis incrementis augeri solet, thorace pectorisque organis nondum satis evolutis, quum plus sanguinis vitae actione consumatur quam reficitur, natura autem deficientem cruorem explere sero studeat, status quidam suboritur hydropicus.

b) Constitutio. Imprimis eae puellae, quibus corporis constitutio est aut lymphatica, aut nervosa, plerumque hereditate accepta, proclives in chlorosin incidunt. Et istae quidem corpore solent esse procero et gracili, cute nitida ac pellucente, crinibus flavis, habitu scrofuloso. Quae vero habent crines fuscos, eaedem plerumque nec scrofulis afficiuntur, nec chlorosi. Porro quamquam tuberculosis et scrofulosis inter causas chlorosis proprias non referendae sunt, tamen quae tuberculis laborant, eas facilius chlorosis corripit.

c) Anni tempus et coelum. Frequentius chlorosis

vere et auctumno posteriore, quam hieme vel aestate, aut ingruit, aut si depulsa fuerat, novos saepe facit impetus. Illis enim anni temporibus quum quoddam madidum frigus per aëra et terras sparsum sit, imminuta aut suppressa vi vitali, et respiratio et cum sanguificatione nutritio multis modis impeditur.

d) Aër et indoles nationalis. Est haec constans doctissimorum medicorum observatio, semper chlorosin in regionibus septentrionalibus ingruere et in locis temperatioribus. Itaque endemia esse solet in Batavorum finibus, Riga (1), Laferté (2), Hohenzollern-Sigmaringen (3). Cujus quidem rei causam haud raro ex puellarum educatione totoque vivendi genere repetendam esse quidam auctores censent. Et Hauffius quidem Judaeorum filias natura procliviores ad istum morbum esse arbitratur. Videtur tamen chlorosis plerumque quodam coeli et aëris vitio proferri, quum aër ita temperatus est, ut gase hydrothionico abundet, oxygenii vero copiam sufficientem non contineat. Non mirum igitur est, quod in vallibus humidis et in iis regionibus, in quibus febres intermittentes late sparsae vagantur, plurima reperiuntur chlorosis vestigia.

e) Educatio, vitae genus, vestitus. Quemadmodum morbi fere omnes ipsa educatione omnique vitae conditione, si non eliciuntur et concitantur, at orti semel aggravescunt et latius spargi incipiunt: sic causae praecipuae, quibus chlorosis provocatur, in tota vitae ab ineunte aetate institutae ratione quaerendae sunt. Quod

---

(1) Blosfeld in Hufel. J. 1834. Jun.

(2) Vallé de la chlorose. Paris 1843.

(3) Heyfelder, Schmidt's Jahrb. I. VIII. p. 102.

etsi ab gravissimis earum rerum arbitris saepenumero et observatum est et parentum curae commendatum, hi tamen vel praejudicata quadam opinione occaecati, vel retenti inertia malunt puellas artibus ad promerendam omnium voluntatem idoneis institui quam corporibus corroborari. Longum est omnia singillatim persequi, quibus quam perversa plerumque ineatur puellas educandi ratio, intelligatur; satis habeo igitur praecipuas educationis partes breviter attigisse. Parvulae postquam a nutrice remotae sunt, tantum abest, ut vegeta juvenilis corporis membra exercere aërisque patientes fieri discant, ut retentae in custodia cubiculari ab omni purioris aëris meatu arceantur, aliisque magis confidere quam suos ipsae movere artus doceantur. Ubi vero corpus ita auctum est, ut firmius incedere articulatiusque loqui valeant, protinus in scholarum umbracula admissae aliquot annos intempestiva quadam assiduitate conterunt, horis autem subsecivis non tam saluberrima corporis motione vires reficiunt, quam cultum victumque ad nova exempla, quae temporum ratio ab exteris nationibus adscivit, diligenter componunt, aut gallice vel anglice garrientes superbiunt. Tum vero etiam, quae est saepe matrum vanitas, si vox quaepiam est, modulate cantare puellae discunt; si brachia et pedes, corpus ad numeros movere aut pantomimos agere docentur. Atqui illud quoties aut renitente natura fiat, aut quantam inde vel mores verecundi, vel corpus labem trahant, in vulgus notum est. Jam adulta virgo quantum temporis vel somnus vel negotiorum domesticorum cura reliquum facit, id omne aut nihil agendo, aut legendis fabulis Romanensibus explet, quibus dici vix potest quantopere et sensus depravetur venusti et cogita-

tionis quaedam luxuria provocetur, nec minus inanes quaedam spes atque somnia alantur. Itaque haud raro fit, ut accelerata pubertate, quum cogitationes omnes in vanis rerum imaginibus defixas habeant, quodam lymphatae mentis errore cupiditatem stupri in semet ipsas convertant. Qua quidem masturbatione quia non solum nervorum, imprimis gangliorum, systema admodum excitatur, sed etiam musculorum robur ac nervi conficiuntur, tam miseranda totius corporis labes, quam morbi gravissimi, velut hydrops et phthisis pulmonalis, nonnunquam progignuntur. — Insuper frequens chlorosis causa in victu puellarum quaerenda est. Illae enim quum magnam vitae partem sedendo conterant, plerumque plus cibi sumere consueverunt, quam possunt concoquere, aut potione ex thea vel coffea cocta nervorum vigorem attenuant. Quid dicam illud recentioris aetàtis portentum thoracem linteum, quo pectoris organa ita constringuntur, ut oppressa legitima sanguinis circulatione ipsa turbetur sanguificatio.

Quae hactenus dicta sunt, ea ferme omnia ad honestioris ordinis puellas pertinent. Alia est ratio filiarum pauperum, quae cur chlorosi corripiantur, longe alias causas invenies. Hae igitur ut educatione ab isto morbo plerumque tutae sunt, ita victu ad illum fiunt procliviores. Et primum quidem alimenta corrupta, quae enumerare longum est, deinde vita in humilioribus atque humidis casis transacta, tum sedentaria earum puellarum vita, quae in officinis textorum aliorumque opificum demisso ac proclinato corpore quaestum faciunt, fieri non potest, quin per corpora nondum adulta latissime spargant chlorosis semina. Notandum est autem eas puellas, quae in urbibus vivunt, saepius illo morbo tentari quam rusticas.

f) Alia vel corporis vel animi vitia. Praeter eas, quas hactenus attulimus chlorosis causas, sunt quaedam etiam aliae, quibus iste morbus haud raro procreatur: moerore confectus animus, rerum ad vitam sustentandam necessariarum inopia, amor spretus, abstinentia Veneris, viduitas, menses pubertatis tempore suppressi, actio systematis vasculosi debilitata, purgationes menstruae profusae, sanguinis profusio aut in puerperio suborta, aut in acutorum morborum decursu arte facta, febres nervosae.

Ad concitandam chlorosin etsi unam vel alteram causarum, quas modo percensuimus, adesse necesse est, tamen interdum fit, ut hae potissimum feminae, quarum animus est irritabilior, levi momento in istum morbum incidant. Ita observatum est, nonnunquam vel ex nimia corporis contentione, vel ex neglecta victus cura, vel ex animi perturbatione chlorosin esse profectam. Quapropter qui volet istum morbum et accurate dignoscere et penitus exstirpare, ei causae omnes et primariae et fortuitae, quibus solet chlorosis concitari, caute sunt perspiciendae.

VII. VARIAE QUAEDAM DE CHLOROSEOS NOSOGENIA SENTENTIAE.

Chlorosis imaginem complures jam antiquitus medici expresserunt; et primus quidem Hippocrates (1), deinde Aretaeus (2), tum Paulus Aegincta (3), Avi-

(1) Hippocratis Liber de morbis virginum. — V. Epidem. I. IV. 21. 19.

(2) Aret. de causis et sign. morb. diut. L. I. C. XVI.

(3) Paul. Aeg. de re medica lib. I.

cenna (1). — Galenus, Hamilton et Lisfranc (2) proximam chlorosis causam in turbata digestionis organorum ratione positam existimant.

Frid. Hoffmann (3) causam censet inesse »in nimia sanguinis impuri et humorum viscidorum ac minus spirituosorum abundantia, ob naturalem tonum, vigorem et robur partium solidarum maximeque viscerum, chylificationi, sanguificationi et depurationi inservientium, valde labefactum in corpore collecta.«

Brandisius (4), Jahnius (5) et F. B. Osiander (6) morbum potissimum ex infirmitate systematis lymphatici, qua chylificatio et sanguificatio turbentur, repetunt, qua re fieri, ut nimis exigua ferri oxydati copia in corpus recipiatur. — Joerg (7) primariam chlorosis causam sitam arbitratur in quodam nutritionis vitio, quo et sanguinis oxydatio minuatur, et functio uteri turbetur.

Ed. de Siebold (8) chlorosin censet morbum reproductionis, ortum e debilitate totius organismi et inde enata irritabilitate uteri suppressa.

Meissner (9), Roche et Sauvages certis chloro-

---

(1) Avicen. Canon. medicinae lib. I.

(2) Lisfranc, Clinique chirurg. de l'hôpit. d. l. pitié. tom. II. Paris 1842.

(3) Hoffmann, Med. ration. system. Tom. IV. part. IV. cap. XIII.

(4) Brandis, Erfahrung über die Wirkungen des Eisens. Hann. 1803.

(5) Jahn, Klinik d. chron. Khten. Arnst. u. Erfurt 1815-1821.

(6) Osiander, Entwickelungskrankheiten. Tueb. 1820.

(7) Ioerg, Handb. d. Khten d. Weiber. Leipz. 1831.

(8) Siebold, Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. 1821. T. I. §. 426.

(9) Meissner, Forschungen des 19. Jahrh. T. 2. p. 100.

sin causis ortam non definiunt, sed quaedam tantummodo afferunt symptomata.

Sydenham (1) chlorosin a mensium morbo bene discrevit, quorum suppressionem symptoma morbi nostri nominavit.

Tommasini (2) auctore chlorosis est chronica vasorum inflammatio.

van Swieten (3) in eam concedit sententiam, proficisci chlorosin inde, quod sanguis nimia repletus sit glutinis copia, quare sanguinis in minoribus vasis circulationem cohiberi arbitratur.

Neumanni (4) haec est opinio, naturam atque indolem chlorosis constare in aucta cordis actione indeque turbata assimilatione ac nutritione.

C. J. Kilian chlorosin ducit morbum cutis, cujus causa in affectione spasmodica, imprimis vasorum capillarium arteriosorum vertatur.

Sam. Fox (5) chlorosin ab hepatis inflammatione chronica deducit.

Alii, ut Mercatus (6) et Hecker (7) chlorosin non singularem quendam morbum, sed nihil aliud nisi amenorrhoeae symptoma esse affirmant.

---

(1) Sydenham Opp. de hysteria.

(2) Tommasini Sull' inflammazione. T. II. p. 250 sq.

(3) v. Swieten. Comm. in Boerh. T. I. §. 73. Lugd. 1762.

(4) Dissertatio de chlor. natura et medela.

(5) Fox, Beobacht. über die Bleichsucht. A. d. Engl. von Groos. Leipz.

(6) Mercat. Gynaeceum s. d. mul. 1554.

(7) Hecker, die Kunst die Krankh. zu heilen. Wien 1813. T. I. p. 424.

Joh. Langius (1) et Laz. Riverius (2) cum multis aliis chlorosin quodam uteri vitio prodire arbitrantur.

Etmueller de chlorosi ita disserit: »chlorosis sive febris alba virginum longe distat a cachexia muliebri; haec enim antecedit aut insequitur mensium suppressionem, chlorosis vero est affectus proprius virginibus et viduis, saltem extra consortium virorum viventibus, aut quibus mariti non satisfaciunt. Hoc morbo affectae pallent habentque sub oculis coronam subcoeruleam vel subrubescentem, tristes sunt etc. Mensium suppressio est fere tantum effectus hujus morbi.«

Kaempf (3) chlorosin a menstruatione a regula declinante repetit.

Désormeaux, Sennert, Tissot aliique chlorosi quandam genitalium astheniam et malam sanguificationem inde ortam subesse putant.

Boerhave (4) causam morbi in sanguinis sero abundantis vitio ponendam existimat.

Harless chlorosin veram censet esse totius systematis vasculosi, potissimum uteri et ovariorum cachexiam ex cruore fibrisque imminutis ortam, adaucta simul seri copia.

Carus (5) morbum e sanguificatione pubertatis tempore vitiata oriri judicat.

Berends, Sundelin et Hufeland (6) chlorosin

(1) Langii Epist. med. Lib. I. epist. 21.
(2) River. Opp. med. univ. T. II. L. XV. Cap. I.
(3) Kaempf, Handbuch d. prakt. Med. Chemn. 1795. p. 402.
(4) Boerhave, de morbis nervor. T. I. p. 158.
(5) Carus, Gynaecolog. I. §. 216.
(6) Hufeland, Encheiridion med. Berol. 1842. p. 359.

ex imminutione cruoris et fibrinae et abundantia seri repetunt.

Puchelt duo discernit chlorosis genera, alterum quidem anaemicum, ex sanguinis inopia ortum, venosum alterum, haerente sanguinis circulatione concitatum.

Schoenlein (1) chlorosin refert in numerum morborum cyanoticorum.

C. H. Schultz (2) adeo chlorosis causam sanguinis vitio, et formatione quidem vesicularum vitiosa contineri arbitratur. Naumann, Trousseau, Colombat et Grimm (3) chlorosin quadam totius systematis nervosi, praesertim sympathici nervi eorumque, qui nutritioni, digestioni, circulationi inserviunt, asthenia gigni dicunt.

Quas quidem inter se discrepantes variorum scriptorum opiniones si volumus consociare, in eorum maxime sententiam concedendum videtur, qui chlorosis causam aut in sanguinis vitio, aut in asthenia quadam totius systematis nervosi ponendam arbitrantur, ita tamen, ut istum morbum et ex sanguinis vitio, et ex systemate nervoso proficisci posse statuamus.

VIII. PROGNOSIS.

Prognosis morbi in universum non iniqua aut mala est. Quamdiu enim chlorosis aut nondum ingravescere coepit, aut nullo alio morbo adjuncto per se constat, natura ipsa, quum ea, quae defecerunt, reparare studeat

---

(1) Schoenleins Pathologie und Therapie. T. II. p. 56.

(2) Schultz, Lehrbuch der allgemeinen Krankheitslehre. T. I. Berlin 1844.

(3) Grimm, die Bleichsucht, Leipzig 40. 6. 36.

et resarcire, ad sanandam chlorosin valet plurimum. Morbus autem, si quaerimus, num possit sanari, an recuperandae bonae valetudinis spes prorsus abjicienda sit, omnis morbi natura atque indoles diligenter est exploranda. Ille quidem quo diutius corpori inhaeret, eo difficilior ad expellendum est; idem pro varia symptomatum, maxime sanguinis, natura varios habet exitus. Ut enim constat lymphaticos, qui ad amissum sanguinem reparandum minus sunt idonei, nisi longo temporis spatio sanari non posse: ita homines admodum irritabiles infestiorem habere salutem et in majus discrimen adduci consentaneum est. Tum etiam hoc magni est in sanando morbo momenti, possitne aegroti victus, conditio, vitae genus sic emendari vel corrigi, ut aliqua etiam inde illi recuperandae sanitatis opes affulgeat. Postremo hoc maxime respiciendum est, chlorosis num sola adsit, an cum aliis morbis conjuncta; denique num in morbos alios, velut in hydropem vel lienis indurationem transierit. Quodsi morbi progressu aut mens turbata est, aut febris hectica accessit, prognosis utique mala est. Melius fit indicium, quoties puellae, antequam menses inciderent, chlorosi corripiuntur, quam si post illos factae sunt chloroticae. Praejudicata autem eorum est opinio, qui mulieres chloroticas aut steriles esse, aut si quando pariant, infirmiores infantes partu edere volunt. Sunt etiam qui affirment chloroticas saepe aut abortum facere, aut laborare metrorrhagiis.

IX. CURA.

Ut morbis omnibus accurata aegrotantium observatione obviam iri potest, item medicus providus, si quidquid chlorosin in puellis commovere solet, diligenter re-

movere studet, saepe morbum ipsum praecavebit, aut jam obortum facile profligabit. Quodsi fieri posset, ut medicus idem juventae moderator esset, rara haud dubie quum morborum omnium, tum vero chlorosis deprehenderentur vestigia. Ut nunc est, hoc maxime medicus curabit, ut puellarum vitae genus, conditionem, victum, qualis est evolutionis tempore, assidue et diligenter observet, omnemque vitae rationem ita instituat, ut morbus suboriens aut non producatur, aut jam productus facile depellatur. Commendabit igitur crebras in locis apricis deambulationes, cibos bene nutrientes eosque parum irritantes, diligentem purgationum menstruarum curam, omnia denique, quae et corpora corroborare possunt, et animos ad recti honestique studium admonere.

a) Cura causalis maximi est ad sanandum morbum momenti. Primum quidem quod sit aegrotantis vitae genus, quae conditio, qui victus, diligenter medico est circumspiciendum; deinde, quidquid morbum aut provocare aut sustentare potest, fortiter est removendum. Praecipue autem certus quidam vivendi modus, quem aegrotus non excedat, medico est constituendus. Chloroticae nimirum quum quadam morbi libidine abreptae, quae maxime ipsis nocitura sunt, ea ardentissimo studio expetant, quo referendi sunt cibi multo sale conditi, pingues, farinosi, panificium, liba, fructus solani tuberosi, acetum, potiones ex thea aut coffea coctae, multa id genus alia, eorum omnium usus severissima disciplina est repellendus. Eligendi sunt potius ii cibi, qui quum sint faciles ad concoquendum, tum corpus viribus augeant. Eo pertinent olera recentia, panis triticeus, caro succida et integra, ova leviter cocta, jus firmum, omnino victus magis ab

animalibus petitus quam terra genitus. Commendatur etiam usus vini generosioris, aut cerevisiae bono hordeo paratae.

Nec minor quam ciborum etiam vestitus cura habenda est. Utatur chlorotica veste spissa, nec tamen tam stricta, ut totum corpus, praecipue thorax, coarctetur. Sit eadem pro alia coeli temperatione alia. Quotidie aegrotae sub divo apricentur liberosque ducant puri et sicci-oris aëris meatus, ita tamen, ut nec lentius incedant, nec fortiore motione conficiantur. Eaedem habitent in cubiculo, quod totum diem amplissimis fenestris solem recipiat, nec mucum ex humoribus parietum contrahat.

Exerceantur corpora aut subeundis negotiis domesticis, aut hortorum cultu, aut aliis rebus, quae magis oblectando animo curisque remittendis, quam vel animi vel corporis viribus fortius intendendis inserviant. Quae si accurate observantur, saepe aliis remediis non opus est.

Jam somnus ne nimis extendatur, sed mature capiatur in cubiculo puro et sicco, in strato duriore, nunquam in culcita plumea.

Quodsi causa chlorosis in tota educatione est posita, quia parentes, imprimis matres, surdas medico victum aegrotarum emendaturo aures praebere solent, cura plerumque ambigua est et difficilis. Educatio autem puellarum ad quem modum ac legem dirigenda sit, quoniam supra copiose exposuimus, hoc loco nihil jam ea de re videtur addendum.

Si quando factum est, ut causae praecipuae, quibus chlorosis excitata est, in coelo, sub quo aegrotantes vitam agunt, aut in eo ipso, quo habitant, loco quaerendae sint, coelum et loca sunt mutanda. Demigrabunt igitur chlo-

roticae in regiones calidas mediocri solis temperatione siccatas, aut in montuosa loca convallium vicissitudine oblectantia.

Potissimum autem in cura chloroticarum recte instituenda providendum est, ne cui rei istae indulgeant, qua desiderium naturale fortius excitetur. Abstinendum est igitur cibis ac potionibus acrioribus aut fervidis, lectione librorum lascivorum et ad alendam cogitationis luxuriam aptorum, saltatione, spectaculis publicis, vita denique otiosa. Si animus dolet, primum causa aegritudinis diligenter examinanda, deinde remedia moeroris aut perturbationis imprimis ex hominum consuetudine et humana aegrotarum tractatione repetenda. Si aegrotae tantopere amore torquentur, ut tristes semper et taciturnae appareant, interdum juvabit animi desiderium explere. Neque immerito Hippocrates ait: »Equidem virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris conjungantur; si enim conceperint, sanae evadunt. In eandem sententiam concedens Autenrieth graviditatem optimum dicit esse remedium antichloroticum, quo morbus melius quam martialibus sanetur. Quod etsi magna ex parte vere dictum est, tamen rerum usu docemur, morbum non semper graviditate profligari.

Profecta ex masturbatione chlorosis, si quando sanatur, sic curanda est, ut aegrotae primum summo imbuantur turpissimi vitii taedio, dein aucta medullae spinalis irritatio minuatur et ad normam dirigatur, denique vires debilitatae quoquomodo corroborentur. Maximam plerumque utilitatem afferunt lavationes frigidae, praesertim embrocatio. Praeterea omnis aegrotarum agendi ra-

tio vel ipsae consuetudines et in loca secreta recessus diligenter sunt observandae.

b) Cura morbi. In ipsa morbi cura artis ratio et disciplina praecipit, ut methodus adhibeatur restaurans-tonica. Quo majoris autem ad morbum gignendum momenti partes genitales sunt, quoque animus irritabilior, eo cautius remedia sunt dilegenda. Videat vero medicus praecipue in chlorosi sananda, ne quid nimis aut festinantius agat, sed ut paulatim remedia et commode porrigat.

Inter remedia omnia, quae solent chloroticis porrigi, quendam principatum obtinent martialia. Itaque vetus illud multorumque sermone jam tritum ac vulgare: qui nescit martem, nescit artem, Neumanno maxime in chlorosi valere visum est. Et primum quidem ea advocanda sunt praeparata, quae facillime concoquuntur, ut tinctura ferri pomata, extractum ferri pomatum, tinctura ferri cydoniata, liquor aethereus martiatus; deinde ad ea transitur, quorum major est vis et efficacia, quo est limatura ferri referenda.

Porrigantur autem martialia aut mera ac pura, aut juncta cum nervinis, qualia sunt castoreum, asa foetida, valeriana etc.; aut cum emmenagogis, qualia sunt aloë, secale cornutum etc.; quorum ea, quae posteriore loco commemorata sunt, quia praecipua chlorosis causa non in amenorrhoea sita est, plerumque non desiderantur. Accedit quod emendata sanguificatione purgationes menstruae ipsae ad normam et regulam redigi incipiunt.

Plus quam illa martialia ferra pollent a natura ipsa in aquis mineralibus sparsa. Celebratissimae autem aquae hae sunt: Altwasser, Brueckenau, Bocklet, Cudowa, Driburg, Pyrmont, Schwalbach, Spaa, quibus in locis

aquae et bibuntur et in usum externum vocantur. Eaedem aquae ab iis, quos vitae conditio peregrinari vetat, multis locis bibuntur arte compositae. Ad concoctionem vel adjuvandam vel levandam, quia ferro interdum alvus adstringitur, martialibus admiscentur aromatica vel resolventia.

Alterum post martialia locum in sananda chlorosi amara obtinent, quae solent quandam facere in cura praecursionem. Huc referenda sunt: trifolium fibrinum, quassia, carduus benedictus, china etc.

Ut autem varia est aegrotarum natura, modo torpida, modo irritabilior, ita varia instituenda sanatio. Et iis quidem, quae natura sunt torpidae, statim ab initio magno cum commodo fortiora porrigi possunt tonica; sed quae facile irritantur, primum leviorum tonicorum, velut acidi Halleri, usui sunt adsuefaciendae. Eaedem mollientia sumant et nervina. Adjuvatur cura lavationibus extremitatum inferiorum et derivantibus, sinapismis, cucurbitis siccis, frictionibus. Sedata demum nervorum irritabilitate praebere ferra proderit.

c) Cura symptomatica. Pleraque chlorosis symptomata quum sint ex quodam sanguinis vitio deducenda, non tam id agendum, ut singulis morbi indiciis singula admoveamus remedia, quam ut primariam causam tollere studeamus. Verumtamen, quoties simul abdominis nervi concitati sunt, adhibenda sunt antispasmodica; si torpore languent quaedam organa, succurras excitantibus; si sanguis alicubi persistit vel in intestinis faeces sunt cumulatae, emetica aut purgantia liberiorem cursum expedient. Principem inter emetica locum obtinet ipecacuanha, rheum inter laxantia.

Quodsi purgationum menstruarum apparent vestigia, diligentissima victus cura habenda est, ne qua intemperantia naturalis turbetur secretio. Quae si parcior est, aut femora cucurbitis siccis fricanda, aut fomentatione aromatica venter molliendus est. Juvabit etiam lanosa uti veste, in victu autem summam observare moderationem. Si morbus decessit, ferrum aliquamdiu ad corporis vires confirmandas adhibere proderit.

VITA.

Carolus Fridericus Arminius Berger natus sum Berolini, a. d. XIV Cal. Jan. MDCCCXX, patre Henrico Friderico, tribuno aerarii, matre Guilelma e gente Dracke, quos parentes adhuc vivos pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor evangelicam. Literarum elementis Lubbenae, Lusatorum urbe, imbutus, auctumnali tempore a. MDCCCXXXIV Gymnasii Luccaviensis, quod tunc rectore Lehmann, postea Lorentz florebat, disciplinae traditus sum; dein Berolini Gymnasium Friderico-Guilelmianum, tunc auspiciis rectore Spilleke florens, per annum unum frequentavi. Testimonio maturitatis accepto, tempore paschali a MDCCCXLI a rectore magnifico Ill. Lichtenstein inter cives academicos receptus et a decano spectatissimo Beat. Osann medicorum ordini adscriptus sum. Per quadriennium hisce virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum interfui scholis:

Ill. Trendelenburg de logice; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de medicinae historia; Ill. Dove de physice; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et de splanchnologia; Ill. Müller de anatomia universa et pathologica, de anatomia organorum sensuum; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Cel. Eck de pathologia generali; Ill. Schönlein de pathologia et therapia speciali; Exp. Dann de

morbis cutis; Exp. Isensee de morbis cutaneis et syphiliticis; Cel. Ideler de diaetetice generali; Ill. Jüngken de chirurgia et generali et speciali; Beat. Kluge de arte obstetricia; Cel. Froriep de akiurgia, de fasciis rite alligandis et de anatomia chirurgica herniarum; Ill. Wagner de medicina forensi et de politia medica.

Duces mihi fuerunt in arte cadavera secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm; in operationibus chirurgicis in corporibus mortuis faciendis Cel. Froriep; in exercitationibus clinicis medicis Ill. Wagner et Cel. Wolff; in clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Dieffenbach et Ill. Juengken, in clinico syphilitico Cel. Schmidt, in exercitationibus obstetriciis Beat. Kluge.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quam possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Perforatio foetus, si quidem fieri potest, sectioni caesareae omnino semper praeferenda.
2. Impetigines non semper sanare licet.
3. Nulla est generatio spontanea, nec ulla unquam fuit, sed omne vivum é creatione.
4. Medicina et chirurgia nostra aetate segregari nequeunt.
5. Medico saepe licet méntiri.
6. Libri medici, quos dicunt populares, plus nocent quam prosunt.